






Sammelbd.

0/0

de,











pag. 652; IV.



44


DE
O C V L I S
D I S C I P V L O R V M
E M M A V N T I C O R V M

DIVINITVS RETENTIS

N O N N I H I L E X P O N I T

C H R I S T I A N V S F R I D E R I C V S O L P E

A. M. ET LYCEI TORGAU. RECTOR.



T O R G A V I A E,
L I T E R I S R Ü D E L I A N I S.

1718

DE
OCCASIS
DISCIPLINARUM
EMMANUELICARUM
DIVINITVS RETENTIS
FOR N. BIL. B. P. M. T.
CHRISTIANVS THEODORVS OPPB
A. M. T. T. T. T. T. T. T. T. T.

LITTEBS RUDOLPHIS
TODORPHIS





LUC. XXIV, 16.

§. I.

Altis defixa radicibus, inhaeret in animo nostro sensuque intimo reducis ex sepulchro Seruatoris memoria, sacro solemni que tempore ante binas hebdomadas celebrata. Quid enim fide, quid spe Christiana magis dignum est, quid frugiferum magis, quam eiusmodi cogitationibus teneri ac recreari, in quibus sanctissimae religionis ponitur basis ac fundamentum? Eius miraculi, tam excelsi, tamque diuini, contemplatio temporum calamitate pressos erigit, curis aegros, sollicitudine anxios, dolore miseros reficit, ac vitae melioris expectatione sustinet atque confirmat. Igitur in otio, quod ex laboribus concedebatur, libros legens de Iesu resurrectione varia exponentes, ex his scripti a me in publicam lucem proferendi occasionem atque argumentum sumsi.



§. II.

Et priscorum memoria saeculorum, et nostro tempore quaesitum est, qui factum fuerit, ut discipuli, in via Emmauntica cum vitae restituto Seruatore disputantes, ipsum non agnoscerent. Varias huius rei causas reddunt Patres, ut vocantur, ecclesiastici, *) in quibus dispicendis non occupabor. Duos tantum auctores aetatis nostrae commemorabo, aliter statuentes de oculis discipulorum retentis, quam theologi, qui in hunc locum diuini codicis, a Luca memoriae proditum, commentati sunt. Alter est celebratissimi nominis philologus ac theologus, CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, insigne illud Goettingensis Academiae, imo vero literati orbis decus, **) alter nobis sua tantum sententia ex ephemeridum scriptore notus. Quid uterque censeat, recensere, quid mihi videatur, addam, eorumque argumentis alia opponam, non repugnandi libidine, a qua semper abhorruui, sed veri videndi cupiditate, cui praesertim HEVMANNVS, Vir summus, seruire praeclare solet, non ferens aegre, si alii, longe inferiores ingenio ac dignitate, non statim in eius partes pedibus eant.

§. III.

Quem igitur primo loco nominamus, doctrina florentissimus HEVMANNVS, ad Lucae verba: *ὁφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκκατέβητο, τὸ μὴ ἐπιγινώσκειν αὐτὸν*, explicando veniens, illa sic conuertit: *Ihre Augen waren nicht aufmerksam genug, daß sie ihn erkannt hätten.* Qua quidem interpretatione non obscure prodit, attentionis negligentia, non vi quadam externa,

*) vid. *Magnifici et Summe Venerabilis GEORGII Apparatus* Euangelicus T. I. p. 924. 925.

**) In Explicatione N. T. ad Luc. XXIV, 16.

terna, impeditos fuisse discipulorum oculos, quo minus intelligerent, hunc, qui viae comitem illis se obtulerit, esse Seruatorem ex mortuis suscitatum. Illud enim: ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατῆντο, Ebraeorum more scriptum opinatur; quod nisi quis memoria teneat, facile eum cum Gerharo aliisque credere, vi quadam diuina fuisse discipulis oculorum aciem obtusam. Ergo quicquam his verbis indicari, negat, nisi quod natura fiat. Cuius socordiae causam, putat ex Marco patere, qui Cap. XV, 12. Iesum his discipulis ἐν ἑτέρῳ μορφῇ, alio vestis habitu, se ostendisse, scribat. Fieri igitur non potuisse, ut veste Seruatorem sui internoscerent. Ore autem vultuque cur Iesum hi non deprehenderint, id incuriae ipsorum tribuendum, qua Seruatoris faciem vel plane non, vel inconsideratius adspexerint. Etenim moerore ac sollicitudine animos eorum maximopere fuisse perturbatos, v. 17. eaque vehementi perturbatione oculos etiam adeo fuisse captos atque irretitos, ut semper proni terram spectarent. Nec vero in mentem venire potuisse his duumiris, Iesum esse itineris sui socium. Quamuis igitur comitis sui faciem intuentes, quandam huic intercedere cum Iesu similitudinem, animaduernerint, ea tamen cogitatione haud fuisse commotos, ut reducem se videre Seruatorem, suspicarentur. Idem quondam accidisse Iosephi fratribus, similitudinem quandam fratris olim ab se venditi reperientibus in vultu Praefecti Aegyptiorum, ad regium principatum secundi. Tunc vero noluisse Iesum se suis patefacere, eoque consilio ductum sonum vocis suae proprium ac naturalem immutasse cum ipsis colloquentem, quemadmodum Maria Ioh. XX, 16. eum prius non animaduernerit, quam Seruatoris voce, sibi nota, compellaretur: *Maria*. Tandem vir acutissimus haec Lucae verba: ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατῆντο, de mentis agitatione praetermissa esse capienda, ostensurus,

cum Clerico exemplum Hagaris Gen. XXI, 19. in mentem nobis reuocat, cuius oculos, cum dolore animi confusa fontem sibi propinquum non vidisset, Moses perinde tradat, fuisse retardatos. Postremo, ne quis in se faciat impetum e versu Lucae 31. vbi discipulorum traduntur oculi aperti, nos iubet Gen. III, 7. conferre, qui locus eandem formulam contineat, sine prodigii cuiusdam suspicione. Haetenus HEVMANNVS, vir laudibus meis multo maior, hic quoque sui non dissimilis. Tam venusto ornatur sententia ingenio, tot literis commendatur.

§. IV.

Idem placuisse cuidam, in sacro suggestu defensum, RATHLEFVS *) commemorat. Causam nimirum, ob quam discipulorum, Emmauntem cum Iesu proficiscentium, oculi viatorem secum euntem ignorauerint, naturalem putandam. Quod vt sibi aliisque persuadeat, haec praesidia conquirat, a me numerando percensenda, quo facilius diiudicentur. I. Ad singularia et insolita negat confugiendum, si ordinaria atque vsitata suffecerint. Causam sane apparere nullam, cur Iesus alium induerit oris habitum, vel ostentum ediderit, vi oculorum in comitibus his aliquantisper interceptenda; quippe cum potuerit Seruator incognitus cum discipulis in via versari, nullo quamlibet prodigio in subsidium vocato. II. Nihil effici posse ex Lucae verbis, nisi illud: *Sie merkten es nicht, daß es Iesus wäre.* Hunc enim loquenti morem diuinis scriptoribus esse solemnem. Ita Sodomitas non fuisse excaecatos, neque tamen ostium Lothi diu quaeritatum inuenisse; ita Deum Hagari oculos reclusisse, vt fontem antea non visum inueniret. III. Impetrare ab se nullo modo

*) In Theologo P. XIV. p. 218.

modo potuisse Christi discipulos, ut crederent, Iesum in crucem sublatum, e sepulchro rediturum, qua erroris opinione captos etiam hos, qui Emmauntem contenderint, omnia potius, quam Seruatorem sese prosequentem, expectasse. IV. Sermone de Christi resurrectione perterritos, animi aciem intendisse, non ad praesentia, verum respexisse ad famam, quae a tergo fuerit. V. Aversum aduenisse Iesum, quem peregrinatores illi mentis haud compotes dimidia tantum ex parte, atque a latere spectauerint, oculis, ut solent iter maturantes, porro directis, ideoque tantum eius vestem oculis vsurpasse et sermonem percepisse. VI. Quaedam in ipso etiam Iesu reperiri, quae amicis peregrinantibus parum consideratis eum magis obscurauerint. Nam solita Iesu veste ab interfectorebus ablata, quadam alia, eaque inusitata, hunc illis se conspiciendum praebuisse. Mirum igitur non videri, cultu eum non iudicatum, quod ipse dedita opera latere voluerit. VII. Os vero vultumque Seruatoris, toties antea conspectum sibi bique familiarem, vel parum, vel plane non considerasse eos latus ipsius regentes. Cum praeterea Iesu, in cruce pendentis, faciem, quae dolore, anxietate, siti ac fame intabuerit, cruore circumfusa, animo comprehensam tenerent, fieri non potuisse, ut vultum Seruatoris vitae redditi pristino decore florentem reminiscerentur. VII. Vulnerum tandem cicatrices Iesum remouisse, manibus veste abditis, pedibus toga obtectis.

§. V.

Nostrum nunc est, quoad fieri potest nostri mediocritate ingenii, comprobare, horum Iesu amicorum oculos non incuria quadam ignauiaque impeditos, non moerore adeo fuisse confusos atque inductos, ut, Iesum esse, comperire



perire non possent; sed euenisse hoc sapientissimo Seruatoris consilio, diuina eius vi atque potentia interueniente. Id vero vt nulli dubitemus, Lucae testimonio ducimur ac mouemur. Etenim formula *καταῖν ὀφθαλμῶν*, qua vitur, accuratius anquirit, intelligimus, eam non animi attentionisque inopiam, sed vim, extrinsecus allatam, significare. Nullus certe ex Nouo Testamento locus poterit laudari, vbi *καταῖν ὀφθαλμῶν* de animo oscitante ac dormitante adhibeatur. Sigillatim vero verbum *καταῖν* tam agendi, quam patiendi, significatione adhibitum, ad imperum quendam externum pertinere, vix opus est, vt efficiam. Sic de violenti Iesu comprehensione, quae manu fit, semel iterumque legitur. *) Sic mortis duram necessitatem notat, quae Christum detinere non potuit, viribus eius maiorem. **) Quare GROTIUS *ἐκατάτηντο* apte compositaeque videtur explicasse: *Impediebantur VI DIVINA, ne propius considerarent ea, ex quibus cognosceret Iesus poterat. ***)* Quid est igitur, quod verborum *ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκατάτηντο*, proprietatem, de qua paullo ante diximus deseramus, quae sanctioris codicis interpreti studiose retinenda est, nisi grauissimae rationes alio vocent. Nullam vero causam inuenient contrariae dediti sententiae, si, quod est interpretis, contextam orationis seriem spectare voluerint. Haec sane verba, quibus discipulorum oculi deinceps dicuntur aperti, *αὐτῶν διανοήθησαν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν* v. 31. nostros animos ad illa referunt, *ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκατάτηντο, τὰ μὴ ἐπιγνώσκειν αὐτὸν* v. 16. satisque declarant, eadem vi praepotente fuisse apertos, qua fuerint impediti. Iam vero non redeunte animi circumspectione atque accurata consideratione, sed vi quadam diuina fuerunt tenebris, quibus ob-

*) Marc. XIV, 44. 46. 49. **) Act. II, 24. ***) vid. CALOVIUS in *Bibl. Illustr.* ad h. l.

obducebantur, liberati. Palam ergo fit, non nisi diuino robore eosdem fuisse prohibitos ac suspensos, quo minus in eorum sensus incurreret Seruator. Dices fortasse, aequè dubiam esse formulam, ἀνοσγειν ὀφθαλμὸς, atque ancipitem, ob eamque causam nihil in ea firmamenti inesse, ad causam nostram corroborandam. At vero, illa quid sibi velit, satis expeditum vsu tabularum noui foederis arbitror. Nam ἀνοσγειν ὀφθαλμὸς in Noui Testamenti libris plerumque occurrit de vi supernaturali et diuina. *Ἀνεόχθησαν οἱ ὀφθαλμοί, Matthaeus *)* inquit de oculis caecorum, quibus visum Iesus praepotenti manu reddiderat. Caeci Iesu auxilium implorantes *Κύριε, ἵνα ἀνοσθῶσιν ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοί,* voris precipibusque contendunt. **) Eandem loquendi rationem Ioannes adhibet de apertis caecorum oculis, ***) eandem Lucas in Actibus Apostolorum, de animi oculis gentium Paulli opera diuinitus patefaciendis. †) Idem transferendum est ad vocem compositam *διανοσγειν*, hoc, quem tractamus, loco positam, quam quidem in Noui Testamenti libris de auribus atque animis diuinitus solutis vsurpatam inuenimus. ††) Quae cum ita sint, non intelligo, cur, repudiata de *vi diuina* notione, quam tot aliis Noui Testamenti dictis inesse videmus, vbi eadem vox frequentatur, vel eius origo, nouam quandam nobis formemus.

§. VI.

Nec verosimile est, iis accuratius perlustratis, quae a Luca commemorantur, tam oscitanter animi leuitate labo-

B

*) Cap. IX, 29. **) Matth. XX, 33. ***) Cap. IX, 14. 17. 21. 26. 30. 32. Cap. X, 3. 21. Cap. XI, 37. †) Act. XXVI, 18. ††) Luc. VII, 34. 35. Luc. XXIV, 31. 32. 45. Act. XVI, 14. Cap. XVII, 3.

rasse discipulos, vt vel parum intenderent oculos ad sectatorem itineris, vel ad eius vultum eos nunquam conuertent. Hi enim dum in via miscent colloquia, de iis, quae Hierosolymis Iesu acciderint, se nescire simulat Seruator, quinam sint isti sermones, quos inter se conferant, et cur tanta infideat in ipsorum vultu tristitia? Id vero Cleophae adeo videtur mirum, vt hominem incertum his prosequatur verbis: *Tunc solus adeo Hierosolymae hospes es, vt ea nescias, quae in ea per hos dies gesta sint?* Tum, quatenam illa sint, Iesus, quasi horum plane nescius, percontatur. *Πότε,* inquit. Quod quidem mouet hos, vt enarrant singula, quae Iesu Hierosolymis et euenerint, et euenisse tradantur. Quis est, quaeso, qui voce minus expectata ab altero audita, non capiatur admiratione? Quis admiratione permotus alteri respondet ad eiusmodi dicta, quin simul consistat paullisper, atque oculorum aciem in os eius vultumque dirigat? Quaerit e discipulis Iesus, quinam sint sermones, quibus tristitia percussi iam distineantur. Id tantam illis admirabilitatem parit, vt Cleophas vix ab vlllo nesciri posse fateatur, quid actum cum Iesu fuerit Hierosolymis. Cuiam id credibile videri potest, illa verba: *Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν ἔθνεσιν γὰρ γεγόμενα ἐν αὐτῇ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις;* Cleopham elocutum oculos non conuertisse ad eum, cui diceret? Quis in animum inducat, vt existimet, a Iesu vltius suscitantis facie, quatenam sint illa Hierosolymis modo suscepta, hocce socios itineris oculos amouisse? Accedit, quod Seruator tam multos, tamque excordes opinionum errores, quibus colloquium refertum est discipulorum, durius et acerbius castigat. *Ὡ ἀνόητοι,* inquit, *καὶ βραδείς τῇ καρδίᾳ τῷ πνεύματι ἐπὶ πάσιν, οἳ ἐλάλησαν εἰς προφῆται κα. 7. λ.* Haec graui- ter pronuntiasse Iesum, haec fulmina iacentem rectis oculis conspi-

conspicatos comites, quis negauerit? Facile etiam credimus, Iesu ore atque oratione hos fuisse excitatos, vt oculos dicentis faciei adicerent. Quantos profecto aculeos haec Iesu animaduersione reliquerit in eorum animis, ipsi deinceps hunc in modum profitentur: 'Ουχι η καρδια ημων καιομενη ην εν ημιν, ως ελαλει ημιν εν τη εδω, και ως διηγοργεν ημιν τας γραφας; v. 32. Nec dum ergo ad liquidum perducī poterit animi languor comitem, prorsus improuisa quaerentem, tanta acerbitate in praeconceptas opiniones animaduertentem, tanta verborum pondera, in explicandis aperiendisque vatibus proferentem, negligentius contemplandi. Satis potius, nisi quid fallor, positum est in aprico, nullam vim, nisi diuinam, horum discipulorum oculos hebetasse.

§. VII.

Superest, vt inquiramus ea, quae contra monuerunt, et summe venerabilis, HEVMANNVS, et alius auctor incerti nominis. Ac primo quidem in verbis, εφθαλμοι αντων εκουθεντο, ebraismum ab HEVMANNO frustra quaeri, GEORGIVS DAVID KYPKE, acerrimi vir iudicii, e priscis Graecorum scriptoribus iam confecit. *) Qui quamuis naturales causas, ab HEVMANNO interpositas, non repudiet, tamen non excludi putat, quod oculos discipulorum a Christo accuratius intuendo et agnoscendo diuina auerterit providentia. Illud vero sententiae praesidium, quod HEVMANNVS atque ille sine nomine auctor, collocat in mutato Iesu vestimento, atque in grauissimo moerore summaque perturbatione, qua obscurati, quasi prostrati fuerint oculi atque animi discipulorum; vt faciem Seruatoris nec contemplarentur, nec possent contemplari, me a sententia non dimouet. Plurima

B 2

or*) In obseruat. sacr. in Noui Foederis libros Tom. I. p. 338.



denique, quae RATHLEFIVS narrat, argumenta, paucioribus confutari poterunt. Etiam si largimur vtrique auctori, alia quidem, eaque inusitata veste, Seruatorem discipulis apparuisse, neque ex hac illum potuisse recognosci, tamen hunc nouum cultum, atque animi tristitia fracti permotionem, Iesu staturam formamque penitus occultasse negamus. Eandem corporis staturam, eandem speciem oris Seruatori tum fuisse, qua fuerat, antequam ad supplicium duceretur, quamuis corpore gauderet a concreatae molis imbecillitatibus libero, certum est. Nec vero vestes aliae tantum habent momenti, vt hominem triduo ante familiaris cum discipulis versatum, illis praesertim proximum, tam reddant peregrinum, tamque obscurum. Pone, moestissimos Christi alumnos, et maxime perculos, etsi interuallum tridui, quod effluxerat, iam impetum leniit aliquantum, eos tamen Iesu cultum in via non contemplari non potuisse, impulsos concitato illius dicendi genere, vt contemplarentur, paullo ante ostensum est ex serie orationis ab Luca literis consignatae. Quod cum facerent, fieri, natura, debebat, vt magistrum suum Dominumque agnoscerent; factum vero non est: Quare non nisi de diuina vi cogitandum, quae horum discipulorum oculis moram iniecit. Sed Cleophas faciem Seruatoris cruentam ac maceratam, non illam virili firmitate et pulchritudine exornatam, apud animum sibi proposuit? Quid ex hoc, si largimur, efficietur? Num illud: Ergo vigore pristino conspicua forma cum fugiebat, diuina vi haud reuocatum? Finge iuuenem florentissimum et succi plenum acuta febris ita contabuisse, vt prorsus euanesceret vigentis aeratis species, finge, et valentem et tabe debilitatum notissimum fuisse amico tum, cum eneruatus esset ille, peregrinanti; aegrotum finge viribus superioribus et flore pristino

stino spe omni celerius recuperatis, amico in itinere se obuiam ferre, colloqui cum ipso, idque multis verbis, nec tamen profiteri nomen suum: Anne tibi persuadebis, praeterire penitus posse alterum amicum amici faciem, non macilentam, sed pleno quasi splendore, qui antea fuerat, exsurgentem? Haec accommodans ad Seruatorem, glorioso vigore reddito ad suos redeuntem, animaduertes, incommode ita rationes iniri: Cleophas cum itineris socio praesentem sibi proposuit faciem Seruatoris, tabe et cruore miseriam, ob eamque cogitationem illam, nouo robore vestitam, iudicat alienam, nulla vi occulta praepeditus. Praeterea non similitudinem faciei Iesu, sed ipsam, toties viderunt discipuli, vnde is facile ipsis innotuisset, nisi Dei obstinisset potentia et sapientia. Manus vero Iesum abscondisse, pedes toga texisse, ne sensibus vulnerum vestigia vsurparentur, quis edocuit concionatorem, cuius RATHLEFIVS facit mentionem? Ille scilicet mos erat Iudaeis in multo puluere iter facientibus.

§. VIII.

Ad exempla nunc conuertor, quibus et longe doctissimus HEVMANNVS, et nescio quis orator sacer, suam illustrant opinionem. Iosephus, fratribus suis obscurus, plane est Iesu dissimilis. Multum praeterierat temporis, ex quo Iosephi fratres ab se diuenditum non viderant, tribus diebus ante Iesum discipuli oculis perceperant. Multum igitur fuerat Iosephi vultus immutatus, parum Iesu. Alia lingua fratres appellabat Iosephus, Iesus per interpretem locutus nulli legitur in diuino codice. Neque huc conuenire putamus Hagaris exemplum. Illa fontem in deserto loco antea non viderat, parumque felicite circumferentem oculos ille facile poterat praeternehi; qui vero stupor diuinae cura prouidentiae fuit mox sublatus. Mariae non aptius quadrat



ignoratio, utpote quae, auersis oculis, Iesum olitorem esse credidit, illum vero, suo se nomine vocantem, quam celerime salutauit. Nec plus valebit Mosis auctoritas, vltimos generis humani parentes, post arboris veritae fructum perceptum, aperis oculis, nudas se comperisse. Quis enim minus intelligit, non de corporis oculis agi, sed animi? Illi fatis cernebant nuditatem suam, nisi infantum eis stupiditatem tribuere velimus. At pudor aberat animi, quem horrenda mutatio, etiam in corpore facta, excitauit. Quid huius e nostro loco potest exprimi ab interprete, qui contorquere verba dubitat? Sodomitarum denique exemplum Gen. XIX. tantum abest, ut nostram sententiam minuat aut frangat, eam ut stabiliat et confirmet. Sceleratissimi homines ad Lothi aedes conueniunt, ut immane, quo nihil detestabilius, flagitium faciant. Magno impetu in Lothum facto, ad ostium iam perpendendum accedunt. Viderunt igitur, effregissent igitur, nisi tanta caecitas ipsis fuisset diuinitus iniecta, ut ostium modo conspectum inuenire frustra conarentur. Consimilis Syrorum conditio 2 Reg. VI, 18. 22. relata legitur, luminibus captorum vatis precibus, visu postea diuinitus restituto, forsitan hic etiam fuit incuria quaedam, sagaciori rei consideratione emendata. Itaque, dissolutis aduersariorum argumentis, stat sententia, non attentionis inopia, non moerore, non perturbatione, sed vi diuinitus illata, prohibitos oculos discipulorum, quo minus sentirent, viatorem secum iter habentem esse Iesum ex sepulchro reuocatum.

§. IX.

Grauibus causis commotum Seruatorem longe sapientissimum coercuisse oculos amicorum, tanto certius statuimus, quanto magis constat inter sanos omnes, nihil temere effici a diui-

diuina sapientia. Habuit igitur causas, easque maximas, cur id faceret, quas, etsi literis tradi non voluerit, aliquo modo inuestigare licebit. Plurimum sane intereat Iesu, turpissimos errores, quos conceperant discipuli de Messiae regno, euellere ex ipsorum animis, ac meliora monstrare, scrupulosque eximere, quibus eius reuiuifcentis gloria obscurabatur. Id autem rectius commodiusque fieri non poterat, quam si persuasiones vanas, quae tam altas in ipsorum mente animoque radices egerant, ex ore illorum perciperet ipse. Hos autem illi vix essent coram Iesu professi, si nossent, quem haberent viae comitem. Atque hac quidem professione maxime opportunam occasionem sibi propositam videbat Seruator optimus ac sapientissimus obiurgandi spem inanem, diffidentiam animi et pertinaciam discipulorum, quidque huic insit criminis, demonstrandi. Deinde sensim paullatimque benignissimus mansuetissimusque doctor infirmorum ingeniorum probe gnarus, non statim tenebras, quibus mens obruebatur, pelli, illos duumuiros ad splendidum de morte triumphum, ab se reportatum, colendum deduxit. Secus idem illis accidisset, quod caeteris discipulis, vt vel spectri metu perterrerent se putarent, vel prae gaudio atque admirationis magnitudine, essent ad credendum difficiliore. Veneremur itaque Christi prudentiam, qua se ad captum suorum accommodauit, ac veteris instrumenti oraculis, tanquam ab alio declaratis, atque insequente clariore conspectu, illos ad plenam fiduciam permouit, qua exultantes, legatorum Christi consilium post reditum replerunt, *DOMINVS reapse vitam recepit.*

§. X.

Haec habuimus, quae, tanquam non intempestiua, moneremus, cum cathedram occupaturi sunt sex lectissimi opti-



optimaequae spei iuuenes. Primo quidem loco prodibit IOANNES CHRISTOPHORVS RAEDLER, Lufanus Misnicus, *de illo, quod singulare ac diuinum est in discipulorum erga praeceptores amore*, dicturus. Hunc excipiet CHRISTIANVS GVILELMVS BVSSÉ, Torgauiensis, quaestionem oratione tractaturus, *quonam anni tempore mundus sit conditus*. Sequetur IOANNES ANDREAS SCHILDE, Torgauiensis, qui, *cur adeo tristes discedamus, in bello praesertim, ab iis, quos caros habeamus*, explicabit. Tum vero IOANNES CHRISTIANVS SCHÜSSLER, Recipiensis Misnicus, *C. Plinium vitae morumque magistrum exhibebit*. Denique IOANNES GODOFREDVS SCHVRIG, Dresenensis, *aget de prudentia temporibus inseruendi*. His quidem, in academiam abituris CAROLVS HENRICVS OTTENS, Steindorfienfis Saxo, felicem abitum gratulabitur, *causas oratione demonstrans, cur amicitia in scholis contracta soleat esse omnium firmissima*, Schroederiani simul beneficii renouata memoria. Ad quas quidem audiendas orationes VI VIRI ILLVSTRES, sacrorum Torgauiensium ANTISTES SUMME VENERABILIS, AMPLISSIMVS SENATVS, et quicumque amant literas ad humanitatem pertinentes, cras, hora IX. matutina in primae classis auditorio prolixè humaniterque conueniant, pluribus precari nolo, ne diffidere videar illorum virtuti, quae inter medios armorum strepitus Musas complectitur, earumque ornamenta tanta fide tantaque cura tuetur. Scrib. in Lyceo Torgauensi die IX. Maii
A. O. R. MDCCLIX.



AB: 155056

ULB Halle

3

003 085 112




TR → SL
wur 75 klet /

V077

R







DE
OCVLIS
DISCIPVLORVM
EMMAVNTICORVM

DIVINITVS RETENTIS
NON NIHIL EXPONIT
CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE
A. M. ET LYCEI TORGAU. RECTOR.



TORGAVIAE,
LITERIS RÜDELIANIS.